

**05
A
1639**



D. O. M. A.

Disputatio Iuridica

DE NECESSARIA
DEFENSIONE

Desumpta

Ex I. ut v. im. D. de Iust. & Iur.
& l. i. C. undevi.

Quam

In celeberrima VVilebergensium Academia

SVB P R A E S I D I O

Dr. ALEXANDRI FA-
BRI I. V. D.

*Al diem 28. Septemb. in Auditorio Ictorum à 6.
matutinis horis publicæ discussioni subjicit,
& defendere annitetur,*

CHRISTIANVS CREMBER-
gius Henichensis Sax. Alum. Elect.

VVITEBERGÆ

Excudebat Iohan. Schmidt, Anno 1610.



Clarissimo & Consultissimo Viro
Dn. HELFRICO VLRICCO HVNNIO I. V. D. PRÆceptori suo charissimo:

NEC NON

*Prudentia, doctrina legali, & variorum
usu præcellentissimis viris*

Dn. FRANCISCO LEHMANNO, Iudici Reipubl. Schmidebergensis dexterrimo,

Dn. ZACHARIÆ MEISNERO, Reipubl. Henichenensis Senatori dignissimo,

Dn. PHILIPPO Handt/ civi d. Reipubl. Schmidebergensis primario.

*Dominis patronis, fautoribus, & amicis plane:
singularibus hanc præsentem de necessaria defensione disputationem in gratitudinis & amicitiae nunquam
intermoritura symbolum*

d. d. d.

Christianus Crembergius.



De Necessaria defensione.

THESES.



T si quidem constat ex nostra l. ut vim
vi. 3. D de lust. & Iur. naturam inter nos co-
gnitionem quandam constituisse, ut per conse-
quens, hominem homini insidiari nefas sit: quis
tamen adeò ab omni experientia remotus existit,
qui nesciat, hodie nihil frequentius in iudicis audiri, quam que-
relas eorum, qui non tantum de insidijs sibi structis, sed & de
effectu earum, qui tristissimus esse solet, gravissimè conquerun-
tur? Quæ cum ita sint, non nimis oleum & operam frustra nos
putavimus consumturos, si aliquid, quomodo in ejusmodi casu
quis non tantum rectè se gerere; sed &, si fortè in tela inciderit,
qua ratione sui defensionem suscipere posset & deberet, in me-
dium adferremus.

II.

Quanquam itaq; defensionis ratio, quam nos necessariam //
dicimus, teste Cicerone, non scripta, sed nata Lex est, quam non //
didicimus, accepimus, legimus, verum ex ipsa natura arripui- //
mus, haufimus, expressimus: ad quam non docti sed facti, non //
instituti sed imbuti sumus, ut si vita nostra in aliquas insidias, si //
in vim, si in tela latronum aut inimicorum incidisset, omnis hoc //
nesta ratio esset expediendæ salutis; in tantum, ut videri posset //
descendere ex Iure modo naturali: nostamen cum Doctis viris //

A ij existi-

existimamus, pro diverso respectu eam non tantum ex Iure naturali, & gentium, verum etiam ex Iure civili & Canonico proficisci.

III.

Cum vero omnis, teste dicto disertissimo Romuli nepotum, quæ de re aliqua suscipitur institutio, à definitione proficiisci debeat, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputatur: Nos necessariam defensionem in genere potius describimus quam definimus, esse vel corporis, vel bonorum, vel etiam honoris adversus vim injustam, moderatam propugnationem atque tuitionem.

IV.

Dicimus autem, quod ad hoc quisque teneatur, ut se defendat, missos illos facientes, qui putant, in vasum non teneri, ut se defendat, sed admittere posse, ut occidatur. Et addimus, quod gravissimam bac in parte Deo & Reipubl. injuriam inferat, propter quam de jure meritò puniendus veniat.

V.

Qua de causa, si quis ob tutelam corporis sui aggressorem in continenti interficerit, omni Iure, etiam poli id fecisse existimabitur.

VI.

Divisionem quod attinet, putamus facilimè eam constare posse ex descriptionis verbis, ubi diximus, illam esse vel Corporis vel bonorum, vel honoris. Est autem prior, quam Dd. comm. personalem appellant, quando quis à se, vel ab alijs vim instantem vel jam illatam propulsat: Altera, quam Realem dicunt, quando quis occasione rerum vim repellit: Posterior vero, quæ non incommodè interdum ad Personalem, interdum ad Realem reduci.

reduci potest; est, quando quis illatam sibi suis vè injuriam repelit. De quibus ordine paucis videbimus.

VII.

Etin defensione quidem Corporis primum considerabimus, quibus ea competit. Parum n. est jus nosse, si personæ, quarum causa constitutum est, ignorentur. Vbi adfirmamus, nihil referre, cuius ætatis, aut sexus, aut conditionis sit, qui vim vi repellit. Imò etiam Dinhola, uti D. loquuntur, permissa est defensio. De bannito dubitant D. utrum se defendere possit? Affirmativam defendit Obrecht: Negativam Zoannet. quæ fundamētis quoq; probabilibus non destituitur.

VIII.

Sicut verò th. præcedenti diximus, nihil referre, quis ille sit, qui vim depellit; ita & hic nihil interesse existimamus, quis ille sit, qui vim infert. Quod sane Clarus etiam ad Papam & Imperatorem maximo jure extendit, cum grano tamen, utilo-quitur salis.

IX.

Verum, cum defensio sit illicita, ubi offensio licita est, non incommode queritur; an, si ejusmodi personæ, quibus licita est offensio, cancellos sibi in ea præscriptos egrediantur, se quis defendere debeat? Et quidem de parentibus ante alias Quæstio diffīcilia est? Affirmativam, etsi quibusdam durissima videtur, nos tamen in puncto juris veriorem esse putamus.

X.

Idem quoq; de dominis, Magistris, Præceptoribus, artificibus & Opificibus erga discipulos, famulos, ministros atq; Operarios nos dicendum indubitanter ad se veramus. Veteres n. LL. de du-
rissima illa servitute buc non pertinent.

A 3

XI, Ad

XI.

Ad eundem ordinem etiam referimus Magistratus, si vel extra judicialiter de facto procedendo, officij sui terminos transgrediuntur, vel judicialiter irreparabile damnum inferre tentant. Quibus omnino judicamus resistendum, si manifeste & notorie de causae injustitia constet. Sic quoque quamplurimis recte sentientibus accedimus, licitum esse injusto in carcerem conjecto non solum eum effringere, sed etiam custodes carceris, si aliter evadere non possit, occidere. Quid vero, si redditum se jura veritatis teneatur redire? Negamus cum ipsisdem.

XII.

Idem jus statuimus in Magistratum ministris, ut ipsi se opponere non liceat ubi officio suo legitimè funguntur. An vero, si quis resistat & occidatur, apparitores puniri possint, dubitatur? Nos negamus, modo tamen moderamen inculpatæ tutelæ adhibuerint. Simili modo nec illud placet, quod quidam dicunt, impunè licere ejusmodi hominibus levibus armaturæ fugientem malefactorem occidere, si aliter eum capere non possint.

XIII.

Eadem ratione uxori licitum est, resistere, si maritus, cui castigandi facultas concessa, & quidem regulariter non verbis, sed verbis, limites ejusdem transgrediat. Nullo enim jure omnino tale imperium in uxores maritis concedi debet, ut levissima atque etiam sine causa interdum ad verbata progrederiantur.

XIV.

Contra ebrium & furiosum, etiamsi maximè animus injuriandi absit, quem alias requirimus, quin nos defendere debeamus, non dubitamus.

XV. Ep.

XV.

Et quidem, quæ hactenus diximus de defensione, in persona propria locum habere nobis certum est. Non caret. a. controversia, utrum alterius quoq; personam defendere liceat? Nos non admissa distinctione inter personas necessarias seu conjunctas & extraneas, simpliciter statuimus suppetias ferre in periculo constituto, non tantum licitum esse: verum etiam crimen contrahere, qui ipsum non defendit, ubi defendere potuit, eoq; judicis moderatione adhibita extra ordinem puniendum esse.

XVI.

Cæterum, si in eiusmodi defensione aggressor à mediatore occidatur, dubitatur, an sit absolvendus, an v. puniendus? Nos quia defensio facti est, ut subinde circumstantiarum qualitate varietur, totam hanc rem prudentis judicis arbitrio relinquimus.

XVII.

Antequam v. ad alias species defensionis accedamus, non incommodè hic posse inseri credimus, qua ratione quis se defendere debeat, Quam Dd. considerare putant in modo, in tempore, & in causa.

XVIII.

Modum v. quem faciunt consistentem in paritate armorum non agnoscimus. Non n. potest defendantii præscribi, quo usq; se tueri debeat. Pariratione illorum sententiam, qui fugiendum esse docent, reijcimus, simpliciter statuentes, quod regulariter nemo, si ve nobilis sit si ve ignobilis, fugere teneatur.

XIX.

Tempus Dd. Comm: statuunt, ut fiat in continentia absque ulla vel personarum vel rerum differentia: ut tamen in rerum defen-

defensione aliquid ulterius concedatur. Illud v. quia à Lege de-
finitum non est, merito arbitrio Iudicis est relinquendum.

XX.

Causam dicunt, ut fiat defendendi animo non ulciscen*ti*.
Quæ depræhendi potest ex actu defendendi, quemadmodum &
totum inculpatæ tutelæ moderamen.

XXI.

Cujus et si regula certa constitui nequit: illud tamen de eo
statuendum, ut quoad fieri potest, adversario parcatur, & ijs,
qui cum eos simul rei intersunt: & ut non nisi necessaria ad tuiti-
onem defensio & armorum expeditio instituatur, auctore Olden-
dorpio.

XXII.

" Non tamen volumus, ut quis primum i&ctum expectet, (quæ
sententia etiam Constit. Caroli V. art. 140. confirmata est) sed
putamus sufficere etiam armorum terrorem, in quoq; minas:
dummodo nobis de animo constare ex parte possit, quod ex præ-
paratione armorum alijsquæ circumstantijs facile colligere est.

XXIII.

De probatione defensionis licet multa etiam adduci potu-
issent: habita tamen brevitatis ratione pauca sufficient. Et qui-
dem primum, an reus, qui allegat se occidisse ad sui defensio-
nem, necessariam defensionem formaliter probare debeat? Nos
probata defensione intelligimus quoq; defensionem necessariam
probatam.

24. Scđ



XXIV.

Sed quid, si reus, qui legitimam defensionem allegat, eam neq; plenè neg; semiplenè probare possit; veluti si homicidium factum sit in loco solitario, nemine præsente, neq; juris præsumptionem, qua dolus occidendi præsumitur, alijs præsumptionibus & conjecturis enervare? Num hoc in casu ordinariâ, ut Ful. Pacian. & Clarus: an saltē extraordinaria pœna, ut Boß. Carer. & alij statuerunt, puniendus erit?

XXV.

Nos neq; priorem neq; posteriorem sententiam approbamus, sed veritatis eruendæ gratia cum Bl. Boër. & Dan. Moller. reum torturæ subjiciendum esse statuimus. Quæ sententia in hisce terris Elector. Const. quoq; confirmata est.

XXVI.

Explicitis ijs, quæ de defensione necessaria in genere, & simul de primo ejus objecto dicenda erant; nunc etiam nos convertimus brevib⁹ ad alterum, scilicet ad defensionem rerum. Vbi quidem Dd. optumè conveniunt in eo, res nostras à nobis defendi posse: sed pessimè in eo; an pro rebus tuendis æquè quempiam occidere sit licitum. Nos negantibus ad stipulamur; nisi simul vita nostra in discrimen adducatur, quod volumus exceptum.

XXVII.

Vnde decisio Quæstionis profluit, nobis non concessum, raptorem fugientem cum rebus, si eum aliter adsequi & apprehendere nequeamus, sagitta vel globo prosternere. Sicut & Dd. nequaquam juvamus, qui putant distinguendas esse res pretiosas à vilibus. Vti nec in eo, an res per viam recuperari iuris queant, vel non.

XXVIII.

XXVIII.

Et hæc quidem de defensione Rerum. Superest tertium & ultimum, ut paucis etiam de defensione honoris dicamus. Cum enim omnibus fortunæ bonis famæ decus sit præferendum, referente Marquardo Frehero lib. 1. de Existim. c. 2. non immerito quoq; ejus maxima ratio habenda.

XXIX.

Vnde queritur: an propter stuprum sibi vel suis illatum vel intentatum, si aliter evitari non possit, occidere aliquem sit licetum? Quod omni itidem jure concessum fatemur.

XXX.

An v. & pro defensione honoris alium occidere liceat, inter Interpp. non constat? Quod sane et si multi adfirment, nobis tamen ijs adstipulandum non videtur. Similiter quoq; nec ijs, qui existimant, si plebius nobilem Convitys insectetur, huic licere, existimationem suam per vim tueri.

XXXI.

Cæterum si verbis inferatur injuria, recriminationem vel retorsionem verbalem jure concessam esse existimamus; ita tamē, ut in continentia fiat, & eadem injuria retorqueatur. Alias, si novam addat, potius ulciscendi, quam defendendi animo facere videtur, ideoq; merito ut ergo de sua agere potest.

XXXII.

De illo magna est inter Dd. controversia, an concessum mihi sit dicere injurianti, tu mentiris? Quod itidem adfirmanus.

XXXIII.

¶ Vti vero omnes cum valent, reela consilia ægrotis dare solent,

lent, in eo vero periculo constituti aliter sentiunt; ita & hic accidere experientia testatur, ut modus, licet ejus multa præcepta præscribantur, rariſſimè tamen obſervetur. Si itaq; quis moderatione non servato alterum occidat, qua pœna puniendus sit, non inconcinnè queritur? Nos extra ordinem cum Bl arbitramur eum plectendum.

XXXIV.

Vbi non incommode inseri potest Quæſtio illa, utrum iudex interdum arbitrariam pœnam etiam ad mortem usq; extendere possit? Quod cum Obrechto & Gomez censemus adfirmandum.

XXXV.

Moderamen a. inculpatæ tutelæ reum tunc quoq; non servasse dicimus, quando aliter ſeſe defendere potuit, velut iſi armis vim repulit, cum æquè potuit ſine armis: vel ceſſante offenſione adhuc alteri per vim iñſtit, cum nulla abſq; offenſione eſſe poſſit.

XXXVI.

Vnde quieritur, utrum ſola evocatio quoq; ſufficiens offenſio fit, propter quam provocantem occidere liceat? Negantium ſententiæ accedimus, defendantes, provocatum non tantum compa- rere non teneri, verum etiam, ſi velit, ſalva conſcientia compa- rere non poſſe; & liberum ei eſſe utrum in hiſce terris ad pœnam Electorali Conſt. expreſſam agere velit.

XXXVII.

Quodſi tamen provocatus comparet & provocantem oc- cedit, non ordinaria L. Corneliae pœna, ſed extraordinaria eum puniendum eſſe cum Comm. Dd. ſchola ſtatuumus. Quam ſententiam conſirmat quoq; Electoralis Conſt. que vult
tali:

tali in casu provocatum puniendum esse relegatione vel simili
pœna.

XXXVIII.

Quæ posteriora verba an extendi quoq; debeant ad fustigati-
onem & manus amputationem, dubitari potest. Nos Moller-
sequentes tantum ad pœnam pecuniariam & carceris exten-
dimus.

XXXIX.

Cæterum si provocans non solum provocat, sed etiam pro-
vocatum simul armis aggreditur, non dubitamus, quin provo-
cantem etiam occidere licitum sit; si modo inculpatæ tutelæ mo-
deramen provocatus non transgrediatur. Hoc n. ubi fit, pœnæ
extraordinariæ locus est.

X L.

Porrò offensionis occasione Coronidis quasi loco querimus,
quid cum illis sit agendum, qui amicorum olim suorum dicta &
facta, quæ fuerunt ipsis concredita palam faciunt, alijsq; modis
illorum existimationi obesse student? Hos eis fustibus dignissi-
mos judicaremus, tamen, quia de luce improbatur, injuriarum a-
ctione, si convinci possint, repellendos esse putamus.

F I N I S.



05 A 1629

ULB Halle
003 780 252

3



KD 17 Gd.



Farbkarte #13

B.I.G.

Black
White
3/Color
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

8
7
6
5
4
3
2
1
Inches
Centimetres
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19

A.
ridica
SARIA
ONE

Iust. & Iur.
le vi.

um Academia

DIO

DRI FA
D.

ditorio Ictorum à 6.
issioni subjiciet,
tetur,

CREMBER.
Alum. Elect.

GÆ
t, Anno 1610.

